

„et dimoventur, ab uno malo, egrediente e natura earum, in
 „malum aliud. Item, paulo post: ואל זה רמזה האשה היקרה
 פום ממללת רכרכן באמרה ואת נפש אויבך יקלענה
 בתוך כף הקלע והבן אמרו בתוך כף הקלע שגם בזה
 לא תהיה נפש אויביו כאבן שעם כל תנועת המבולבלת
 בקלע הנח תצא משם ותבקש מקומה ושם תנוח במקומה
 הטבעית אבל נפש הרשע לא תהיה כן כי יקלענה
 ענשה ותמיד תהיה בתוך כף הקלע לא תצא משם
 ולא תשוב למקומה ולא תמצא מנוח לכף רגלה:

„Hoc indicavit Mulier nobilissima, ore suo proferens mysteria,
 „quando dicit: At animam inimicorum tuorum proiciet in
 „medio volae fundae. Vbi nota, quod dixerit, in medio vo-
 „lae fundae. Nam in hoc, etiam, non erit similis anima inimi-
 „corum eius lapidi, quod, licet motus omnis eius sit mixtus
 „intra fundam, nihilominus exeat inde, acquiratque sibi lo-
 „cum, in quo quiescat, ceu loco sibi naturali. Sed cum anima
 „impii non ita sese habitura sit, siquidem funda torquebit eam;
 „Poena eius, ut, jugiter, sit in medio volae fundae, ita
 „ut non exeat inde, nec redeat in locum suum, aut inueniat
 „quietem volae pedis sui. Quemadmodum, itaque, lapis,
 „vel aliud quid, fundae immissum, pro huius conditione, fa-
 „cile dispergitur, et in altum proicitur; ita inimicorum DAVI-
 „DIS animam, sive vitam, instar lapidis, vel rei, nullo pretio
 „dignae, a DEO esse negligendam, ominabatur ABIGAIL,
 „cuius integrum, allegorice conceptum, votum huc, fere, re-
 „dit: *Si surrexerit quidam, ut te persequatur, atque insidias
 vitae tuae struat, DEVS clementissime eandem tuebitur, at-
 que conservabit, quemadmodum κρυμνία, in fasciculo arctis-
 sime colligata, studiose, et summa cum cura, asservantur, ut
 detrimenti nil quicquam capiant; Vitam, vero, inimicorum,
 insidias tibi struentium, ac sanguinem tuum, furibundo spiritu, siti-
 entium, plane floccipendet, eiusdemque, tanquam rei indignae,
 et penitus abiectae, curam, prorsus, nullam in se recipiet.*

Atque haec succincta Orationis Abigaeliticae paraphrasis
 commentationis huius esto

F I N I S

Coll. disc. A. 236, misc. A